





1800 8 26

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHIL. ET IVR. VTR. D. DIGEST. INFORT. ET NOVI PROF.  
PVBL. ORD. CVRIAE ELECT. PROVINC. SCABINATVS ET  
FACVLT. IVRID. WITTEBERGENSIS, NEC NON IVDICII  
PROV. IN MARCH. LVSATIAE INF. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.

Inest Disquisitio.

*An ea, quae suprum passa est, si supratorem actione ex  
sponso convenerit, transactione autem interveniente, huic liti  
renunciaverit, dotem petere possit?*



ORDINIS IURIS

ALBERTI WILHELMI

DEI

GOTTFRID WILHELMUS

INSTITUTIONES IURIS  
PUBLICE PROFERENDAE  
IN UNIVERSITATE  
ALBERTINA MAGNIFICENTIAE  
MAGNIFICENTIAE

ALBERTI WILHELMI

z  
L  
t  
r  
fl  
v  
q  
d  
le  
bi  
p  
ex  
o  
in  
lie  
al  
lis  
qu  
ni  
re  
e  
ct.



Cum Dissertationi inaugurali praefandum sit, quae de *notione stupri violenti* agit, et quam *Vir Praenobilissimus Doctissimusque CAROLUS FRIDERICUS BURSIAN, Fiscus Electoralis per Circulum Montanum Procurator*, ut sibi aditum ad summos in iure honores pararet, conscripsit; dilquirere lubet, *an ea, quae stuprum passa est, si stupratorem actione ex sponso convenerit, transactione autem interveniente, huic liti renunciaverit, dotem petere possit?* Haec enim quaestio in iudicio de stupro civili saepius obvenit, rarius quidem, si de stupro violento quaeratur, saepius autem, si foemina sibi non dissentienti vitium illatum esse confiteatur, illud ipsum autem, oblata sibi spe futuri matrimonii, factum esse asserat. Nam ex stupro violento propterea iudicium civile rarius instituitur, quod Medici negent, a) ex concubitu violento, partum procreari posse, nisi mulier ipsa in opus venereum consenserit, hoc autem facto, stuprum ipsum, quod ab initio violentum fuit, iam voluntarium esse incipiat, malintque mulieres, nisi uterum gestent, illatam sibi iniuriam reticere, quam se aliorum ludibrio exponere, qui ipsam, de qua conqueruntur vim, hisdem gratam fuisse censebunt. Saepius autem evenit, ut foemina, quae se sub spe futurarum nuptiarum vitiatam esse fatetur, eum, a quo vitiatam est, coram iudice ecclesiastico, actione ex sponso, conveniat, deinde autem, hac ipsa lite transactione interveniente finita, et recepta certa pecuniae summa, novam coram iudice saeculari ex stu-

a 2

pro

a) Io. GODOFR. CAROL. FUERBRIN-  
ER, in *Diss. de Stupro violento, et causis*  
eius, hoc sub certis modo conditionibus se-

ri, graviditas vero nunquam exinde oriri  
possit. Jenae MDCCXCVIII. Sect. IV.

pro actionem instituat, et, prouti huius actionis indoles exigit, petat, ut stuprator eandem sibi legitimo matrimonio iungat, vel dotem constituat, denique partui, ex his furtivis amoribus oriundo, alimenta praebeat. Jam is, qui convenitur, reus, se exceptione transactionis indeque orientis plaris petitionis tueri, hancque ipsam exceptionem, ex iis, quae coram Confessorio acta sunt, comprobare studet, quo facto, quam vim haec exceptio habeat, et utrum actrici noceat? acriter disputari solet. In dirimenda autem hac ipsa quaestione, Iureconfulti in diversas partes abeunt; alii enim hanc ipsam transactionem, qua stupratori necessitas vitiatam ducendi remissa est, actioni de stupro civili praeiudicium facere censent, *b)* alii autem eandem de sola matrimoniali causa initam esse, hanc ab actione de stupro toto coelo distare, denique renunciaciones omnes strictae interpretationis esse, et prioris litis renunciacionem novae actioni neutiquam nocere contendunt. Quare, quae sententia legum nostrarum analogiae magis conveniat, iam dispiciamus.

Foeminis honestis, id est, iis, quae pudori suo parcunt, *a)* sive quae extra hanc, de qua iam quaeritur, stupri patientiam, vitam honestam duxerunt, *aa)* ad quas nonnulli, *b)* aliis tamen in hac ipsa re dissentientibus, *c)* eas etiam referunt, quibus quondam stuprum quidem illatum

*b)* AVG. A. LEYSER in *Medit. ad Pandect. Spec.* DLXXXIII. M. 4.

*a)* L. 41. pr. et L. 43. D. de Ritu nuptiar.

*aa)* GEORG. IAC. HOFFTIUS in *Dif. de Virgine stuprata a stupratore non dotanda*, Ienae MDCCXII. Cap. I. §. IX.

*b)* IO. BALTH. WERNERUS in *Obs. for.* P. VII. Obs. CXXXVI. IO. HENR. BERGERUS in *Oec. Iur.* Lib. III. Tab. XI. Th. IV. n. 12. CAR. FERD. HOMMELIUS in *Rhapsod.* Obs. XIX. IO. LUD. ES. PUITMANNUS in *Elem. iur. crimin.* §. 586.

*c)* BENED. CARPZOVIVS in *Praxi rer. crimin.* P. II. Qu. LXVIII. n. 76. et in *Iurisprud. Ecclesiast.* Lib. II. Def. CCXXXII. IUST. HENR. BOERMERUS in *Iure Eccl. Prot. Test.* Lib. IV. Tit. XVI. §. XI. DAN. GEORG. STRUBENIUS in *Rechtlichen Gedanken.* T. III. Cap. CXLVII. IO. IAC. SCHMIDIUS in *Dif. de Exceptionibus stupratam ad satisfactionem privatam contra stupratorem agentem repellentibus.* Altorf. MDCCXCIV. §. XVI.

illatum est, quae tamen nondam propatulae pudicitiae arguuntur, d) meretricumque nomine insigniri possunt, in quarum censum non veniunt, quae cum uno alterove, amoris oestro forsitan percussae, corpus miscuerunt, e) hoc solatium mores nostri concesserunt, ut eum, qui stupro easdem polluit, ad matrimonium secum ineundum, vel dotem sibi dandam compellere possint, f) ut hoc ipso modo pudicitiae imminutae quasi restitutionem, vel saltem hostimentum accipiant, damnumque iisdem restituatur, quod iam ex eo sentiunt, quod adempta iisdem pulcherrima dote, vita scilicet pudica, difficiliorem nubendi occasionem inveniant. Nam licet ipsae, nisi vi compressae fuerint, non omni culpa careant, quippe quae in stuprum ipsum confenserunt, ideoque secundum vulgatam iuris regulam, damnum, quod sentiunt, non sentire videantur, g) maioris tamen culpa vir reus esse censetur, qui easdem, nisi aliud manifestis indicis comprobari possit, h) ad stuprum pellexisse putatur. i) Praeterea foemina honesta, quae cum viro, nondum aliae foeminae matrimonii vinculo iuncto, concubuit, seque ab eodem vitari passa est, hoc ipsum futuri matrimonii causa fecisse, k) denique vir ipsae foeminae, per concubitum, spem futurarum

d) I. A. GERSTLACHERUS in *Tr. de stupro*, Sect. I. §. XXI.      ken, T. I. Cap. CLXII. Io. I. SCHMIDTUS in *Diff. cit.* §. XX.

e) CASE. ZIEGLERUS in *notis ad LAN- CELLOTTI Institut.* Lib. I. Th. XXV. §. 19.      i) L. un. §. 2. C. de Raptu Virgineum v. BURCH BARDILI *Diff. de Satisfactione stupratae*. Tabing. MDCLXXXV. Cap. II. Memb. II. n. 29. S. R. et Ill. H. G. BAUERUS in libro, cuius titulus est: *Die Churfürstl. Sächsischen Decisiones de Ao. 1746*. Dec. XXVIII. §. 2.

f) Idem l. c. Lib. IV. Th. VIII. §. 3. Io. V. BECHMANN in *Diff. de Privilegiis Mulierum*. Ien., MDCLXVII. §. LIX. TH. KRETSCHMANNI *Comment. de Stupro voluntario*. Stuttgart. MDCCXCI. Sect. I. §. II.

g) L. 205. D. de Reg. Iur.

h) D. G. STRUBEN in *Rechtl. Beden-*      k) G. C. BASTINELLER in *Diff. de Dote virgini, a marito vitatae non praestanda*. Witteb. A. MDCCXV. §. XX.

turarum nuptiarum ostendisse, imo se iam pro marito gessisse videtur.<sup>1)</sup> Aequum igitur est, ut hic ea iam faciat, quae promississe censetur, et foeminam, quam vitiavit, legitimo matrimonio sibi iungat, vel, si hoc facere detrectaverit, damnum, quod ex hoc suo facto ad foeminam redundat, resarciat. Mulieris enim interest, ut, cum iam difficiliorem nubendi occasionem inveniatur, ei legitimo matrimonio iungatur, a quo impudica facta est, »ne scilicet, ut verbis utar CARPZOVII<sup>m)</sup> ob semel amissam pudicitiam palam quaestum facere incipiat, pro ut foeminarum natura proclivior est ad libidinem, et quia facillimum est, eam, quae semel pudicitiae limites egressa est, ad fraudem impellere.« Vir autem facto suo hanc iniquiorem conditionem mulieri obtulisse videtur, ideoque, ut damnum datum resarciat, quovis modo compelli poterit. Non solum enim ab eo, qui damnum dolo dedit, sed et ab eo, qui culpa tantum reus est, id est, qui ea, quae ex actu a se suscepto sequi solent, praevidere potuisset, si rem accuratius ponderasset, licet non praeviderit, damni resarcitio exigi potest,<sup>2)</sup> et ab hac culpa non immunis esse videtur, qui foeminam vitiavit, cum et ipse delictum commiserit.

Derivari solet haec, quae stupratis debetur, satisfactio, ex iure Mosaico, et, quod hoc ipsam pressim sequitur, iure Canonico.<sup>3)</sup> Sed utrumque ius neque viduis honestis stuprum passis satisfieri iussit, neque ei, qui virginem vitiavit, ius eligendi, utrum eandem ducere, an eidem dotem dare malit, concessit. Iussit enim MOYSES,<sup>4)</sup> ut qui vir-

1) Io. BRUNNEMANNUS in *Iure Ecclesiastico*. Lib. II. Cap. XVIII. §. 26. S. V. BAUERUS in *libr. cit.* Decif. XXX. §. 8.

2) B. CARPZOVIVS in *Definit. Ecclesiastico*. Lib. II. Def. XXXVI. n. 15.

3) G. A. KLEINSCHROD in *Doctrina de Reparatione damni delicto dati*. Wirceburg. A. MDCCVCIX. Sect. I. §. 3.

4) I. I. SCHMIDIUS in *Diff. cit.* §. 4.  
b) Exod. Cap. XXII. v. 16 et 17. Deuterion. Cap. XXV. v. 28 et 29.



virginem nondum desponsatam vitiaisset, eandem dotaret, et duceret, vel ut alii vertunt, dotando sibi dotaret in uxorem, e) nisi virginis pater intercederet, hoc autem facto, patri pecuniam daret, iuxta modum dotis, quam virgines accipere solerent, denique ut is, qui violento modo virgini pudicitiam eripuisset, eandem duceret, et ab eadem nunquam diverteret, patri autem virginis pecuniam, pro solita virginum dote, adpenderet. d) Jus vero Canonicum priorem legem Moylis totidem fere verbis repetiit. Haec enim in Decretalibus verba inveniuntur: »Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, »dormitque cum ea, dotabit eam et habebit uxorem. Si vero pater »virginis dare noluerit, reddet pecuniam, iuxta modum dotis quam »virgines accipere consueverunt;« e) quae satis clare docent, iure Mosaico aequae ac iure Canonico, solis virginibus privilegium datum esse, ut, si stupro pollutae essent, ei, qui easdem vitiaisset, legitimo matrimonio iungerentur, et ab eodem dotem acciperent. f) In has enim solum stuprum ex mente iuris Canonici committebatur, quod stuprum illicitam virginum deforationem esse dicit, g) quando videlicet, non praecedente coniugali pactione, utriusque voluntate virgo corrumpitur, viduarum autem usum fornicationem appellat, licet idem hoc ipsum fornicationis vocabulum in latiori sensu interdum accipiat, pro quovis concubitu illicito viri, qui foeminam non habet, cum foemina, quae itidem virum non habet. h) Ex quo fit, ut in plurimis locis viduis, quibus vitium illatum est, haec, de qua dicere coepimus, satisfactio tribui non solet. i)

At

c) A. A. LEYSER in *Med. ad Pand. Spec.* DLXXXIII. Med. 7.

d) G. C. BASTINELLER in *Diff. cit.* §. 3 et 4.

e) C. I. X. de Adulter. et Stupro.

f) Io. P. LANCELLOTTUS in *Instit. iur. canon.* Lib. IV. Tit. VIII. §. 3.

g) C. 2. *Caus. XXXVI. Qu. I.*

h) C. II. *Caus. XXII. Qu. IV.*

i) A. SANDE in *Decif. Fref.* L. II. Def. X. A. FABER in *Codic. Def.* Lib. IX. Tit. VII. Def. V. C. G. SCHMIDIUS in *Diff. de Stupro in mente captam commisso.* Lipf. MDCCCXXVII. §. VIII.

At cum nonnulli ex Jureconsultis Judaicis legem Moysis ita interpretarentur, ut eandem non simplex praeceptum de ducenda vitiatam complecti, sed mulctam etiam, propter virginitatem ereptam, in eadem statutam esse censerent, quasi Moyses hoc iussisset, ut is, qui vitium puellae intulisset, eidem tantum dotis nomine daret, quantum ad conciliandas nuptias sufficeret, eamque, si uterque vellet, duceret, ita tamen, ut haec ipsa mulcta a stupratore exigeretur, si vel ipse vitiatam ducere nollet, vel haec nuptias eius sperneret, vel pater denique virginis in matrimonium eius non consentiret, a) et cum denique GREGORIUS M. Felici cuidam necessitatem, vitiatam ducendi, remisisset, nihilofecius autem poenam stupri in hoc delictum iure Romano sancitam mollivisset; b) usus fori paulatim, ne quis inivitus ad ducendam uxorem adigeretur, hocque ipsum factum tristem matrimonio exitum crearet, c) et, ne crescente in dies hominum malitia et luxuria, mulieres, si scirent sibi per stuprum ipsum nubendi conditionem quaeri posse, sprete sexus verecundia, in amplexu virorum ruebant, variisque stupris ipsae occasionem praeberent, d) ei, qui foeminam vitiaisset, alternativam obligationem, ut eandem vel duceret, vel eidem dotem constitueret, imposuit, e) nisi cum vitiatam sponsalia iniisset, quae ex mente Canonum per concubitus ipsum in verum matrimonium transire videntur, f) et eum, qui foeminam vitiauit, ad

matrimo-

a) I. H. BOEHMERUS in *Iure Eccl'es. Protestant.* Lib. V. Tit. XVI §. III. IO. FR. S. BOEHMERUS in *Observat. ad CARPZOVII Praxin rer. crim.* Quaest. LXVIII. Obl. I.

b) C. 2. X. de Adulter. et Stupro.

c) IO. SCHNEIDERWINUS in *Comment. ad §. XXIII. I. de Actionibus.*

d) BURCH. BARDILI *Diss. laud.* Cap. II. n. 17.

e) B. CARPZOVIVS in *Praxi rer. crim.*

nal. Quaest. LXVIII. n. 6. IO. VOLCK-BECHMANN in *Diss. de Privilegiis Mulierum.* §. LIX. IO. H. BERGERUS in *Diss. Sententia tacite alternativa.* §. XIII. IUST. H. BOEHMERUS in *Iure eccl. Protest.* I. c. §. VI. AUG. A. LEYSER in *Medit. ad Pand. Spec.* DLXXXIII. Med. 7.

f) C. 15. et 30. X. de Sponsal. C. 3. et 6. X. de Condit. appof.

matrimonium consumandum ita adigunt, ut, sine iusta legibusque probata causa, ab hac ipsa obligatione liberari non possit. g)

Hunc usum forenses, qui a legis Mosaicae et iuris Canonici sententia recedit, a) et moribus forsitan veterum Germanorum originem suam debet, b) cum hi filias sere vendere solerent, c) eorumque leges stupratores damnarent, ut certam pecuniae summam parentibus vitatae solverent, d) ius nostrum Saxonicum approbavit. e) Hoc enim iubet, ut is, qui foeminae honestae stuprum intulit, eandem ducat, vel dotet, et partui ex hoc ipso stupro nato alimenta praebet, denique, una cum muliere, quae stuprum passa est, publica aliqua poena addiciatur, f) ideoque in pluribus causis a iure Mosaeico differt. Nam cum ex hoc ipso in pluribus tantum, quibus vitium oblatum est, satisfaciendum sit, ex iure nostro viduis etiam honestis haec satisfactio debetur, g) quippe in quas stuprum aequae ac in virgines ex legibus nostris committitur. Nos enim quemvis illicitum concubitum, quem in commixtione corporum consistere docet GERSTLACHERUS h) naturae non contrarium, si neuter concubentium matrimonii vinculo teneatur, neque inter eos necessitudo quaedam ex propiore consanguini-

g) C. 2. X. de Sponsal. c. CHRISTOPH. PHIL. RICHTERI *Decis. Dec.* LXXXVIII. Io. IAC. SCHMIDIUS in *Diss. cit. de Exceptionibus etc.* §. VII.

a) I. H. BOEHMERUS in *Iure Eccles. Prot. l. c.* §. VI.

b) TH. KRETSCHMANN in *Comment. de stupro voluntario*, §. 99.

c) TACITUS de *Moribus German.* Cap. XIX.

d) G. L. BOEHMERUS in *Diss. de mul. etis stuprorum*, quae est in *Elect. iur. civ. Extr. XXII.* §. VII sq.

e) M. G. PAULI in *Diss. de poena stupri*. Witteb. A. MDCCCLXXXI. §. XI.

f) *Constit. Elect. XXVII. P. IV. Mandat. Torgaviense d. d. XXX. Septbr. A. MDCIX. Ordin. Matrimonial. d. d. X. Aug. A. MDCXXIV.*

g) *Constit. Elect. XXVII. P. IV. Ordin. Ecclesiast. de Ao. MDLXXX. Tit. Von der Strafe der Unzucht. Mandat. d. d. XXX. Septbr. Ao. MDCIX. Ordinat. Matrimon. d. d. X. Aug. MDXXXIV.*

h) In *Tr. de stupro*, C. I. §. 2 sq.

guinitatis, sive adfinitatis gradu intercedat, stuprum appellamus, et hoc ipso vocabulo ita utimur, ut Romani, qui stuprum in virginem vitiam committi dicebant. <sup>i)</sup> Deinde ex iure Mosaico is, qui virginem vitiaisset, eandem sibi legitimo matrimonio iungere, dotemque patri dare debebat, neque ipse has nuptias subterfugere poterat; licet patri mulieris ius competeret, easdem repudiandi, nec ab ipsius stupratoris arbitrio pendebat, utrum vitiatam ducere, an eidem dotem constituere vellet, sed ad utrumque adigi poterat, cum obligatio eius copulativa esset, non disiunctiva, et a vitiatæ patris tantum arbitrio penderet, an filiam ei, qui eandem vitiaisset, in matrimonium collocare vellet. Ex iure autem nostro stupratoris obligatio alternativa tantum et disiunctiva est, ita ut invitus ad nuptias ineundas compelli non possit stuprator, nisi vitiatæ de futuro matrimonio fidem dederit, veraque cum eadem sponsalia contraxerit, denique dos ipsa, quam vitiatæ, nisi matrimonium sequatur, accipit, poena non est privata, cum stuprum ipsum ex legibus nostris poena publica vindicetur, sed satisfactionem, sive præstationem eius continet, quod interest vitiatæ conditionem per stuprum ipsum deteriore factam esse, eamque iam difficiliorem nubendi conditionem invenire. <sup>k)</sup> Quare hæc dos recte definiri poterit, per certam pecuniæ summam per iudicis arbitrium definiendam, quæ vitiatæ in compensationem denegati matrimonii datur. <sup>l)</sup> Ex quo iam sequitur hanc ipsam præstationem, dotem

<sup>i)</sup> §. 4. J. de Public. indic. l. 6. §. 1. D. *Exceptionibus*, §. VIII. III. To. Ad. Th. ad Leg. Iuliam de Adult. l. 5. D. de Quæst. l. 101. D. de Verb. Sign. KINDIUS in *Quæst. forens.* T. II. Cap. XLVII.

<sup>k)</sup> I. H. BOEHMERUS in *Iure Eccles. Protestan.* Lib. V. Tit. XVI. §. IX. I. S. F. BOEHMERUS in *Observat. ad CARPZOVII Præf. rer. crim.* Quæst. LXVIII. Cap. II. Membr. III. n. 9. <sup>l)</sup> B. CARPZOVIVS in *Præxi rerum criminal.* Quæst. LXVIII. n. 39. B. BARDILI Diss. de *Satisfactione stupratoris*.

Obf. I. I. L. SCHMIDTUS in Diss. cit. de

dotem abusive tantum dici, m) eamque veram esse satisfactionem propter imminutam pudicitiam, et denegatum matrimonium, indeque eandem statim, posteaquam nuptias stuprator reculaverit, exigi posse, n) licet alteri mulier non nupserit, sed coelebs manserit, o) petitionem autem eius locum non habere, si ipsa mulier nubere nolit stupratori, p) vel ab eo vitata fuerit, cum quo se legitimi matrimonii vinculo iungi non posse scivit, q) vel si ipsa mulier stupro causam dederit, et ad venerem virum pellexerit, hoc ipsum autem ex eius confessione constet, vel legitimo modo comprobari possit, r) Haec enim mulier pudicitiam, antequam eidem stuprum inferretur, amisisse censetur, ideoque de imminuta sua pudicitia conqueri nequit.

Est autem ea, quam usus fori introduxit, ius Saxonicum comprobavit, stupratoris obligatio, alternativa vel disiunctiva, ut eam, quam vitaviit, vel ducat vel dotet. Cum igitur in alternativa obligatione debitori, nisi in favorem ipsius creditoris conditio alternativa adiecta sit, electio ita competat, a) ut libellus, per quem creditor ius suum persequitur, alternative concipiendus sit, b) actorque ipse, si contra hoc fecerit, pluris petitionis poenam incurrat, c) immo sint nonnulli, qui censeant, ipsam iudicis sententiam nullam esse, si is reo

b 2 sol-

m) I. H. BOEHMER l. c. §. IX. LEYSER in *Medit. ad Pandect. Sp.* DLXXXIII. Med. II.

n) arg. L. un. §. I. C. de Raptu virginum.

o) Io. B. WERNER in *Obs. for.* T. III. P. II. Obs. CCCLXIV.

p) B. CARPZOVIVS in *Praxi rer. crim.* Qu. LXVIII. n. 84. et in *Defin. forens. P.* IV. Const. XXVII. Def. I.

q) Decis. XXX. de Ao. MDCCXLVI. cf. S. R. et III. H. G. BAVERUM ad h. Decis. §. 9. Io. VOETIUM in *Comment. ad Pand.* Lib. XLVIII. Tit. V. §. 4.

r) Io. VOETIUS l. c. A. A. LEYSER in *Medit. ad Pand. Sp.* DLXXXIII. M. 12. D. G. STRUBEN in *rechtlichen Bedenken*, T. I. Cap. CLXII. I. I. SCHMIDIUS in *Diff. cit. de Exceptionibus stupratam*, etc. §. XX.

a) §. 34. I. de Actionib. C. 70. X. de Reg. Iur. in 6to.

b) L. 6. §. I. D. de Re iudicata.

c) §. 34. I. de Action. I. H. BERGERUS in *Diff. de sententia tacite alternativa*, §. XV.

lolutionem vel praestationem unius rei, quam non nisi disiunctive debet, absolute iniunxerit,<sup>d)</sup> licet hanc sententiam iniquam tantum esse, adeoque eandem, si nullum interpositum fuerit remedium, vires rei iudicatae nancisci, docuerit BERGERUS;<sup>e)</sup> dubitari nequit, ex eo iure, quo hodie utimur, stupratori ius eligendi adimi non posse, an vitiatam legitimo matrimonio sibi iungere, utrum eidem dotem dare velit, hanc autem re plus petere, quoties alterutrum tantum petierit<sup>f)</sup> nisi stuprator cum alia foemina iam nuptias contraxerit, et hoc facto declaraverit, se vitiatam in thorum suum recipere molle.<sup>g)</sup>

Recte autem haec, quae stupratori per legem iniuncta est obligatio alternativa, ut vitiatam ducat, vel dotet, ad obligationes alternativas ordinis, sive successivas refertur,<sup>e)</sup> id est, eas, in quibus unum principaliter debetur, alterum autem ad maiorem creditoris securitatem adiectum est.<sup>h)</sup> Saepius enim leges nostrae obligationis, ut stuprator vitiatam legitimo sibi matrimonio iungat, tanquam principalis obligationis mentionem faciunt, prouti hoc satis clare testantur verba MAURITII Principis Electoris c): *»Wo einer hinfarder eine Jungfrau schwachen, und die nicht zu der Ehe nehmen, ob er sie wohl nach Ordnung der Rechte bestatten würde, soll er gleichwohl mit zeitlichem Gefängniß ohne Nachlassen gestraffet werden, et AUGU-*

STI

d) I. N. HERTIUS in Diff. de Electione ex obligatione alternativa debitori debita. Sect. II. §. 3.

e) In Diff. de sententia tacite alternativa. §. XVII.

f) BASTINELLER in Diff. de dote virgini a marito vitiatæ non praestanda. §. XV. LEYSER in Med. ad Pand. Spec. DLXXXIII. M. 2. PAULI in Diff. de Poena stupri. §. XI.

g) I. H. BERGERUS in Oec. Iur. Lib. III. Tit. XI. Th. IV. n. 7. I. A. TH. KINDIUS in Quaest. forens. T. II. Cap. XLVII.

h) I. H. BERGERUS in Diff. de Sententia tacite alternativa. §. XXIX et XXX.

b) I. N. HERTIUS in Diff. de Electione ex obligatione alternativa. Proleg. §. 2. I. H. BERGERUS in Diff. cit. §. XXX.

c) In Ordinat. provinc. de Ao. MDXLIII. Tit. Von der Strafe des Jungfrauen-Schwächens, in Cod. Augusi. T. I. p. 19.

STI d) »Da eine ledige Mannsperson eine Jungfrau oder unberuch-  
tigte Wittve beschlößt, und er (wie denn billig geschieht) dieselbe  
zur Ehe nicht nehmen will, so soll et sie ihres Standes und Herkom-  
mens nach dotiren, nec non CHRISTIANI II. e) et IOANNIS GEOR-  
GII. f) in quorum legibus eadem fere verba occurrunt, quibus Au-  
GUSTUS usus est, denique mores nostri non sinunt, ut mulier ab eo  
dotem exigat, a quo vitiata est, si hunc ipsum sibi iusto matrimonio  
iungi non posse probe sciverit, g) vel ipsa suo facto, ne ab eodem  
duci possit, effecerit, h) quia in his ipsis casibus is, qui foeminam vi-  
tavit, eiusdem nuptias non detrectare videatur. i). Ex his autem sa-  
tis patet, leges nostras id iubere, ut stuprator eam, quam vitiavit,  
legitimo sibi matrimonio iungat, denique, si huius obligationi, quam  
per ipsum concubitum cum virgine viduave honesta suscepisse puta-  
tur, satisfacere nolit, eidem dotem constituat, ideoque obligationem  
ad ducendam vitiatam principalem, ad dotem autem constituendam  
minus principalem esse. Ex qua ipsa causa olim in Saxonia electorali,  
ut hodie adhuc in Marchionatu Lusatiae inferioris fieri solet, actiones  
ex stupro, licet nulla sponsalia intercesserint, coram Consistorio insti-  
tuebantur, k) extranea inter leges nostras, lex Christiani II. Electo-  
ris

d) In Conflit. Elect. XXVII. P. IV. cf. Ordinat. Ecclesiast. de Ao. MDLXXX. Tit. Von der Strafe der Unzucht, in Cod. Aug. T. I. p. 542.

e) In Mandato d. d. XXX. Septbr. Ao. MDCIX. in Cod. Aug. T. I. p. 1448.

f) In Ordinat. Matrimon. d. d. X. Aug. MDCXXIV. in Cod. Aug. T. I. p. 1023.

g) Decif. XXX. de Ad. MDCCXLVI. cf. BAUERUM ad h. Decif. §. 9. CARPZOVIUM in Praxi. rer. crim. Quaest. LXVIII.

n. 70. sq. Io. VORTIUM in Comment. ad Pand. Lib. XLVIII. Tit. V. §. 4. WERNHER in Obs. für. P. IV. Obf. CCXLIV.

h) I. H. BERGER in Diss. de Sententia tacite alternativa, §. XXIV. WERNHER, in Obs. für. P. V. Obf. CCXI.

i) CARPZOV. in Desin. forensf. P. IV. Conf. XXVII. Def. r. WERNHER in Obs. forensf. T. III. P. III. Obf. LVIII.

ii) I. H. BERGER in Electis Proc. matrimon. §. VII. T. BARTHIUS in Dissensum in Praxi. Centur. X. Diff. 987.

ris. k) ut ii, quibus eiusmodi causae a Consistorio commissae essent, partibus sedulo matrimonium suaderent, et si persuadere non possent, de dote constituenda demum agerent, denique lex Augusti regis, l) ut Superintendentes de causis stupri saepius ad Consistorium referrent.

Cum igitur in obligatione alternativa ordinis, sive successiva, quoties haec ex ipsa lege oriatur, ideoque alternativa iuris sit, tota obligatio perimatur, si id, quod principaliter debetur, sine culpa et mora ipsius debitoris perierit, a) et cum memo duabus actionibus rei persecutoriis ad eundem finem tendentibus uti possit, sed, una actione instituta, altera pereat, b) ne contra bonam fidem bis idem exigatur, c) et cum denique manifesti iuris sit, non solum solutione et petitione et acceptatione unius rei, quae nobis ex pluribus disjunctive debetur, totam obligationem solvi, sed etiam pacto convento de una re non petenda interposito, totam obligationem summoveri, d) actio vero ex stupro, quatenus ad ipsius stupratae satisfactionem tendit, eundem finem assequi studeat, quam actio matrimonialis, scilicet ut mulier legitimo matrimonio ei jungatur, contra quem agit, et haec ipsa actio sit etiam rei persecutoria, cum vitata per illam amissam pudicitiam, quae quod eandem beaverit, in bonis eius fuisse videtur, e) quasi recuperare, vel, ut rectius dicam, eiusdem aestimationem consequi cupiat, me non poenitet esse eius sententiae, quam

LEY-

k) In Resolut. Grav. de Ao. MDCXII. in Cod. Aug. T. I. p. 170.

l) Rescriptum d. d. IX. Decb. MDCCV. in Cod. Aug. T. II. p. 878.

a) Arg. L. 26. §. 4. de noxal. action. S. STRYCKIUS in *Annotat. ad LAUTERBACHII Compendium* Lib. XVIII. Tit. V. p. 551. HERTIUS in *Diss. de Electione ex oblig. altern.* Sect. III. §. 4. BASTI-

NELLER in *Diss. de Dote virgini a marito vitatae non praest.* §. XXI.

b) L. 54. §. 3. D. de Furtis L. I. C. de Condict. furtiv. v. I. L. SCHMIDTIUM in libello, cuius titulus est: *Praktisches Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden.* §. 45.

c) L. 57. D. de Reg. Iur.

d) L. 27. §. 6. D. de Pactis.

e) L. 49. D. de Verb. Signif.



LEYSERUS) probavit, et quam Jureconfulti Wittebergenfes olim le-  
cuti funt, qui cum eiusmodi caufa M. Novbr. A. MDCCXXXI. ad eos  
deferretur, transactionem de ipfo matrimonio initam, iudicio civili  
de flupro praeiudicium facere cenfuerunt, et, ipfo LEYSERO inter-  
prete, Senatui Iflebiendi refponderunt » *Die weil Beklagter die Klä-  
gerin mit 20 Thalern ihres Einfpruchs und Eheklage abgefunden,  
fo werden ihr diefe 20 Thaler ftatt der erkannten 20 Fl. Ausftat-  
tung billig gelaffen, fie ift aber, nachdem fie gegen Empfang die-  
fer 20 Thaler die Eheklage fallen laffen, alfo der Schwängerung  
wegen nicht ferner alternative klagen kann, etwas mehreres zu for-  
dern nicht befugt, Beklagter jedoch die zur Alimentation ausge-  
fetzte 9 Fl. von Zeit an, da das Kind zur Welt gekommen, jähr-  
lich zu reichen fchuldig.*

Non negandum quidem efl, actionem ex flupro ab actione ma-  
trimoniali plane diverfam efl, illam ex moribus noflris coram iudi-  
ce faeculari, hanc coram ecclefiaftico inflitui, in illa libellum alter-  
native eflle concipiendum, ut fluprator vitiatam vel ducat, vel dotet,  
in hac fimpliciter petendum, ut fponfus fponfam fibi legitimo matri-  
monio jungat, fidemque datam adimpleat, illam ex legum difpofiti-  
one, five ex proprio quodam iure, et variis caufarum figuris, ut ver-  
bis CAII \*) utar, hanc ex iplarum partium conventionem originem  
trahere, transactiones autem et renunciationes ftrictam interpreta-  
tionem recipere, nec negotia ac caufas, de quibus nominatim conce-  
ptae funt, egredi, b) indeque ad alias lites non pertinere, quae ex  
alia petendi caufa poftea oriuntur; c) deinde exceptionem rei iudica-  
tae, et quae eandem vim habet, d) rei transactae, locum non habe-

re,

f) In *Medit. ad Pand. Spec. DLXXXIII.*  
M. 4.

e) L. 9. §. 3. de *Transact.*

d) Io. VOETIUS in *Comm. ad Pand.*

a) in L. 1. D. de *Oblig. et Act.*

Lib. II, Tit. XV. §. 21.

b) L. 9. §. 1. D. de *Transact. L. 3. C. eod.*

re, nisi de eadem re, inter easdem personas, ex eadem petendi causa denuo agatur, e) eumque, qui liti renunciavit, non omni, sed coeptae tantum liti renunciare, f) denique creditorem, cui plures, ex diversis causis competunt actiones rei persecutoriae, singulis uti posse, g) cum singulas obligationes singulae causae sequantur, nec ulla earum alterius petitione vitietur, h) eadem res potius saepius deberi, i) et ob hanc ipsam rationem creditor, si velit, duarum actionum commo separatum uti, k) debitor autem, qui ex pluribus causis debet, licet uni obligationi iam satisfecerit, ex alia causa iterum conveniri possit, l) his ipsis autem argumentis confirmari sententiam eorum, qui transactionem in causa matrimoniali initam, iudicio de stupro civili nequitquam oblitare censent. In hoc iudicio enim de alia re quaeri dicunt, de stupro scilicet, de eadem re autem tunc demum agi, si apud iudicem posteriorem id quaeratur, quod apud priorem quaesitum est. m)

At cum ex stupro is, qui foeminam honestam vitiauit, eidem, ut supra docuimus, matrimonium principaliter debeat; licet se ab hac ipsa obligatione praestatione dotis, si velit, liberare possit, ideoque in iudicio etiam de stupro civili, de matrimonio, igitur de eadem re, de qua coram Confistorio actum est, agatur, licet iam actrix alia actione, quam qua ab initio agebat, experiatur, n) improbandus au-

tem

e) L. II. §. 4. L. 12. 13. 14. et 17. D. de Except. rei indicatae. Io. SAM. STRYCKIUS in Diff. de eo, quod iustum est circa indentitatem. C. IV. §. XII.

f) PAUL BECKER in Diff. de iure renunciationum. Altorf. 1661. §. 139. CASP. ZIEGLER, in Diff. de Renunciatione. §. 8.

g) Io. BRUNNEMANN in Tr. de Concurfu, cumulatione et transmissione actionum Cap. III. §. XXVII. HERRMANN &

VIANEN in Diff. de Concurfu actionum C. I. §. IX. in G. OELRICHSII Thefauro novo Diff. iuridicar. Vol. I. p. 275.

h) L. 14. §. 2. D. de Except. rei iudic.

i) L. 169. D. de Reg. iur. L. 3. §. 4. D. de acquir. vel amittenda possess.

k) L. 10. D. de Act. emti.

l) L. 18. D. de Oblig. et Act.

m) L. 7. §. 1. D. de Except. rei iud.

n) L. 5. pr. D. de Except. rei iud.

tem sit is, qui iterum consequi velit, quod accepit, <sup>o</sup>) nec condemnandus is, qui aestimationem praestitit, <sup>p</sup>) et cum ex hac ipsa causa exceptio rei indicatae, vel etiam transactae, ei obset, qui, cum plures actiones, quarum una altera pinguior erat, haberet, unam proposuit, <sup>q</sup>) verius mihi videtur, vitiatam, quae stupratori nuptiarum conditionem remisit, eundem, quoad satisfactionem sibi competentem, ex stupro convenire non posse. Nam, ut nuptias secum ineat, petere nequit, cum eundem ab hac ipsa obligatione, transactione inita, iam liberaverit, re ipsa autem plus peteret, si dotem simpliciter ab eo exigere vellet, cui facultatem eligendi, suo facto ademit. Nec locus dandus est muliercularum fraudibus, quae licet sciverint reum sibi, non solum ex causa sponsaliorum, sed etiam ex stupro, nuptias debere, interveniente transactione, acceptaque certa pecunia, eidem nuptiarum necessitatem remiserunt, iam eundem, novo proposito actionis libello, ad matrimonium secum ineundum compellere student. Deceptis enim, non decipientibus, iura nostra opitulantur, <sup>b</sup>) nec is, qui bis idem promisit, amplius, quam semel tenetur. <sup>i</sup>)

Sed iam veniendum est ad eum, cuius causa haec scripta sunt. Venit enim ad nos

VIR PRAENOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS, DOCTISSIMUSQUE  
CAROLUS FRIDERICUS BURSIAE,

*Arnsdorfio-Montanus,*

IURIS UTRIVSQUE CANDIDATUS FISCALELECTORALIS PER CIRCULUM  
MONTANUM PROCURATOR ET CAUSARUM PATRONUS

nosque modestis precibus adiit, ut eidem summos in utroque iure honores tribueremus, qui vitae suae fata his verbis nobis exposuit

*Ego*

<sup>o</sup>) L. 51. §. 1. D. de Reindic.

<sup>p</sup>) L. 3. §. 15. D. de Tabulis exhib. L. 34.

pr. D. de Obligat. et Action.

<sup>q</sup>) L. 25. §. 1. D. de Except. rei iud.

<sup>r</sup>) L. 2. §. 3. D. ad SCtum Vellej.

<sup>s</sup>) L. 18. D. de Verbor. Oblig.

*E*go, CAROLUS FRIDERICUS BURSIAE, die VI. Mens. Febr. a. p. Ch. r. f. CIOCCCLXVII. in pago Arnsdorf. sito Freibergam inter et oppida, Roswein, Nassen et Waldheim, natus sum, parentibus usus JOANNE FRIDERICO BURSIAE, rerum in equestri Illustris ac Generosissimi de Tümppling, patroni mei ac fautoris gravissimi, fundo, oeconomicarum triginta fere annos administratore, et matre MARIA DOROTHEA, e gente BUGENHAGENTIANA, atavum agnoscente illum Lutheri collegam atque amicum sub POMMERANI nomine insignem, ac de sacris per Lutherum emendatis, quod neminem fugit, optime meritum. Quorum igitur optimorum parentum, heu! praematura morte iam dudum mihi ereptorum, sedula salutis meae cura fiebat, ut mature in omnibus, quibus puerilis aetas solet impertiri, erudirer. Pro qua, sicut et aliis beneficiis a vobis, optimi parentes, quorum nulla in me unquam oblivio delebit gratissimam memoriam, in me, quam diu in vivis eratis, sine numero collatis, sit terra Vobis levissima! Gratias igitur innumeras Tibi, optime pater, etiam post fata, ago et habeo maximas, quod primum me fidei et curae GRAVII, Rectoris Rosviniensis, viri de me meritisissimi, tradidisti, namque cur me olim eius usum fuisse institutione poenituerit nondum huc usque habui. Deinde ab anno huius saeculi LXXXIII. Gymnasium, quod Freibergae floret incepti frequentare. Ibi praecceptores mihi contigerunt HECHTIUS, tunc collega tertius, nunc vero Rector Gymnasii optime merens, HÜBLERUS, Conector, vir mea laude multo excellentior, et b. JÜNGERUS, tunc Rector Gymnasii fidus ac strenuus. Quibus praecceptoribus omnibus ac singulis, HÜBLERO tamen, doctori ab auditoribus suis nunquam satis laudando, inprimis gratias, quas possum, ago et habeo maximas. Quinquennio tum praeterlapso Gymnasio valedixi atque in Academiam Lipsiensem me contuli, ubi a b. REITZIO, tunc fascis Academiae tenente, in numerum academicorum civium sum receptus. Hic interfui PLATTNERI et CAESARIS lectionibus philosophicis, sicuti WENKIIUM atque HILSCHERUM historiam, cum Saxonicam tum universalem, enarrantes audivi. Ad sedi praeterea BERNERO, jus naturae, historiam jur. Institutiones iur. rom. et Pandectas tum explicanti. Nec minus RAUVII interfui lectionibus in  
ius

*ius feudal., b. PÜTTMANNI in ius cambiale, b. SCHOTTII in ius eccles., germ., criminal. ac iudiciar. et simul EINERTO duce in arte ex actis iudicialibus argumentum enarrandi sum exercitatus. Quos illustres viros omnes ac singulos, meaque laude multo praestantiores, nunquam non venerabor animo gratissimo. Cursu igitur studiorum academicorum peracto, anno huius saeculi LXXX., sub ill. STOCKMANNI praesidio, quem in iure Saxonico praeceptorem habueram, varias iuris controversi theses publice defendi, nec multo post examen pro praxi iuridica sustinui, in quo ab Ill. Ictorum Ordine omnino et prae ceteris iudicabar dignus, cui potestas fieret, causas in foro agendi, simulque creatus sum notarius publicus caesareus. Quo facto reliqui Lipsiam et Dresdam emigravi, ubi, aliquo tempore post anno huius saeculi XCIII. venia causas in foro agendi mihi data, per triennium et amplius, non causarum modo patronum egi, sed actuarius etiam in iudicio a praefectura militari pendente (Gouvernements-Kriegsgericht) vicarius biennium fui. Sed anno huius saeculi XCVI. contigit mihi, ut Vir illustris ac generosissimus WOLFIIUS FRIDERICUS GOTTHELF DE TÜMPLING, Ser. Princ. Elect. Sax. a Cubiculariis, pariter atque ill. et iureconsultissimus IUSTUS CHRISTIAN GÜNZ, Ser. Princ. Elect. a consiliar. iudic. summ. provoc., auctoritate tutoria generosissimae Virginis ac nobilissimae CHRISTIANAE ERDMUTHAE RUDOLPHINAE DE SCHÖNBERG, Dominae haereditariae in Bieberstein Trebitz etc. ea lege, si et Dresda demigraturus ac propter loci viciniam aut Nossenam aut Freibergam posthac essem inculturus, iuris dicendi curam in Bieberstein mihi demandarent. Fidem igitur servavi datam et Freibergam me contuli, urbem mihi per omnem vitam gratissimam. Prius enim quam Freibergam migraveram, sub finem anni MDCCCLXXXVI, Dresdae adhuc degens, HENRIETTAM FRIDERICAM GOTTLÖB, IOANNIS GOTTLÖB, Ser. Princ. Anhalt. Bernb. pictoris aulici, viri optimi, filiam natu maiorem, virginem honestissimam, et meo non minus quam aliorum omnium, quibus morum eius innotuit integritas virtusque nullo modo fucata, iudicio, summa laudis, ob egregias mentis atque animi corporisque doctes, praedicatione dignissimam, faustis omnibus duxeram in matri-*

monium, nec frustra spem summae felicitatis futurae exinde conceperam. At, proh dolor! anno vix praeterlapsa, non ipse solum in morbum incidi periculosissimum, sed coniugem etiam dilectissimam, morbo a me vix, ac ne vix quidem superato, ex parienti filiolam viuis paulo post partum ereptam discrimine misere educatam, morte, heu praematura! amisi, ac simul omnem fere futurae salutis spem sine solatio abieci. Quantam enim eo, quod Te, functa honestissime vita coeloque nunc, Deo summo rerum humanarum gubernatore volente, recepta coniux, cuius non, nisi moestissimum memoriam saepius recolo, amisi, equidem fecerim iacturam, me nemo intelligit melius. In ista tamen re maxime incerta certos mihi contigit cernere amicos; si quidem non vir tantum amplissimus atque honoratissimus CHRISTIANUS GOTTLIEB PHILIPP, dominus hereditarius in Lössnitz, iuris eodem in pago Lössnitz dicandi vices pro sua in me benevolentia mihi, ex quo Freibergae vicum degere coepi, mandavit, sed illustris etiam ac generosissimus de Tümppling, idem, cuius supra iam feci mentionem, iurisdictionem vicariam in Arnsdorf fidei meae credidit. Praesertim vero vobis Patroni, Fauctores atque amici mei, qui estis Freibergae, quorumque fidem ego sum expertus in istis temporibus meis fidissimam, et quorum equidem nomina silentio hic profecto non praeteriissem, id nisi Vestra prohibuisset modestia et verecundia. Sed maximas Vobis, quas possum ac debeo hisce agere atque habere gratias mihi liceat ex mente profectas nullo modo fucata et sanctissime spondeo, me nullam Vobis referendi gratias copiam esse unquam praetermissurum, sicuti etiam haud iniuria mihi sperare videor, fore ut in posterum quoque Vobis non sim ingratus, sed acceptus potius atque iucundus. Denique non possum, quin OPT. PATRIAE PATRI, SER. PRINC. ELECT. SAX. propterea gratissimum me publice profitear, quod praeterito mense Novembr. a. c. Procuratorem Fisci per Circulum montanum me constituit.

Quam vero mens mihi esset, summos in utroque iure honores petendi, Whitebergam me contuli, atque ibidem, postquam a S. V. DRESDIO, Rectore Acad. Magnif. inter cives academicos eram receptus, ab Ill. ICtorum ordine Doctoratum decenter petii, cuius voti, ut me participem faciat, oro rogoque.

Is in utroque examine eum eodem instituto varia se imbutum  
 esse doctrina lucenter ita probavit, ut honestissimo eius desiderio lo-  
 cum concederemus. Huic iam proximo die Lunae, qui erit XXII.  
 Decembris, summi in utroque iure honores tribuentur. Ut autem  
 hoc rite fiat, defendet eodem die, Praefide VIRO AMPLISSIMO,  
 DOCTISSIMO ET IURE CONSULTISSIMO IOANNE CHRISTIANO  
 FRANCKIO, I. U. D. ET FACULTATIS NOSTRAE ASSESSORE ORDI-  
 NARIO, huius VRBIS PRAETORE, NEC NON IUDICII PROVINCIALIS  
 IN MARCH. LUSATIAE INFER. ASSESSORE, *de his suis muneribus*  
*bene merente* Dissertationem inauguralem, quam ipse conscripsit,  
*de notione stupri violenti.* Hunc actum solemnem, ut RECTOR  
 ACADEMIAE MAGNIFICUS, COMES ILLUSTRISSIMUS,  
 PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, omnesque divinae et humanae  
 sapientiae DOCTORES, NEC NON GENEROSISSIMI NOBILISSI-  
 MIQUE ACADEMIAE CIVES, honorifica sua praesentia ornare velint,  
 et meo, et ordinis mei nomine, omni, qua decet, humanitate rogo.  
 P. P. Domin. IV. Adventus Christi. A. R. S. MDCCC.

Faint, mostly illegible text on an aged, yellowish page from an old book. The text is arranged in several horizontal lines, but the characters are too faded and blurry to transcribe accurately. Some faint words or fragments are visible, such as "PHILOSOPHIA" and "ACADEMIAE" in some sections. The page is part of a thick volume, with other pages visible on the left side.

GO  
 PHI  
 ET  
 S  
  
 CHI






Wittenberg, Diss; 1799-1801

ULB Halle 3  
004 335 929



f  
sb.





1890 8 26

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHIL. ET IVR. VTR. D. DIGEST. INFORT. ET NOVI PROF.  
PVBL. ORD. CVRIAE ELECT. PROVINC. SCABINATVS ET  
FACVLT. IVRID. WITTEBERGENSIS, NEC NON IVDICII  
PROV. IN MARCH. LVSATIAE INF. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.

Inest Disquisitio.

*An ea, quae stuprum passa est, si stupratorem actione ex  
sponso convenerit, transactione autem interveniente, huic liti  
renunciaverit, dotem petere possit?*

